207

104a

Clarissimo et Eruditissimo Viro
D. Jacob. Brukero

Jo. Lamius S.D.

Quatuor Exemplaria Pinacothecae Tuae, Vir Clarissime, dudum accepi, Decadis scilicet quintae, quorum unum pro tua liberali humanitate dono mihi das, et pro quo gratias Tibi incredibiles ago. Trium reliquorum pretium, quod ad libras Venetas triginta quatuor cum dimidio adscendit, ita tibi solvo, ut sexdecim libras cum dimidio a Domino Blanconio Archiatro praestantissimo, ad quem de hoc litteras dedi, accipias, duodeviginti libras reliquas a Domino Thero Mercatore Veneto, cui numerari jussi. Eidem Domino Thero Fasciculum tradendum curavi, qui tria volumina Ephemeridum litterariarum anno 1745. 1746. 1747. excusarum complectitur, et bona fide doleo, quod alios, quae Tibi desunt, praecedentium annorum, ~~ad~~ mittere, aut supplere non possim, quum exemplaria omnia defecerint. Adeo verum est Lucani illud: Nocuit semper differre paratis. Ultimam Pinacothecae Decadem expecto; et si Gloriae Templi volumen secundum miseris, licet Germanice scriptum, mihi erit gratissimum, et gratias habebo aeternum. Angelus Maria Bandinius noster Vindobonae est cum Episcopo Volaterrano Electo, cui ab Epistulis est. Vale. Dabam Florentiae anno MDCCXLVIII. Id. Februar.

a Monsieur

Monsieur Jacques Brucker
Ministre et Professeur tres-celebre

a Augsburg